

permitteret sibi vetare, quod senatus juberet. Utrumque, Cæsar Augste, moderate, et quod alibi tibi gratias agi non sinis, et quod hic sinis. Non enim a te ipso tibi honor iste, sed ab agentibus habetur. Cedis affectibus nostris, nec nobis munera tua praedicare, sed audire tibi necesse est.

Saepe ego mecum, P. C., tacitus agitavi, qualem quantumque esse oporteret, cuius ditione nutuque maria, terræ, pax, bella, regerentur; quum interea singenti, formantique mihi principem, quem aequata diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videmus. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace: alium toga, sed non et arma honestarunt: reverentiam ille terrore, aliis amorem humanitate captavit: ille quæsitam domi gloriam in publico, hic in publico partam, domi perdidit. Postremo adhuc nemo exstitit, cuius virtutes nullo vitiorum confilio laderentur. At principi nostro quanta concordia, quantusque concentus omnium laudum, omnisque gloriae contigit, ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahatur? Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capitinis, et dignitas oris, ad hoc, aetatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere deum festinatis senectutis insignibus ad augendam majestatem ornata caesaries, nonne longe lateque principem ostentant?

V. Talem esse oportuit, quem non bella civilia, nec armis oppressa respublica, sed pax, et adoptio, et tandem exorata terris numina, dedissent. An fas erat, nihil differre inter imperatorem, quem homines, et quem dii fecissent? quorum quidem in te, Caesar Augste, judicium et favor, tunc statim, quum ad exercitum profiscereris, et quidem inusitato judicio enituit. Nam ceteros principes aut largus crux hostiarum, aut sinister volatus avium consulentibus nuntiavit: tibi adscendent de more Capitolium, quamquam non id agentium, civium clamor, ut jam principi, occurrit. Siquidem omnis turba, quæ limen insederat, ad ingressum